MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL II)

Zwettl, 1. Viertel 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

sibi et aliis doctrinam ipsius commendare satageret. Ille quasi tali constrictus articulo vellet etiam maiora promittere deierare cepit et nomen divinitatis obtestans dicere. Domine deus qui gentem nostram per eundem episcopum ad agnitionem tui nominis venire fecisti, si umquam monita eius vel extrema contempsero, sibi et aliis universa que predicat commendare curavero, te negavi. Neque vero inanis fuerat sopor aut somnia vana quibus sepe deludimur. Nam protinus in hec sacramenti verba dimissus catenis similiter et carcere liber abscedit. Qui cum venisset ad mare inventam naviculam solus sine remige sine duce hostium quos a tergo formidabat compulsus timore intravit, tucius fore existimans pelagi se fluctibus credere quam denuo inhumanitatem eorum quos semel evaserat experiri. Navis namque a validissimo vento arrepta per undas concite ferebatur et mari vastissimo mira velocitate decurso incolomem eum ad litus exposuit. Egressus ille de manu Stetinensium adiit civitatem cunctis audientibus Christi clementiam eiusque virtutem ac sue erectionis hystoriam non sine digna laudis admiratione commemorans. Denique in prefata principum concione consedit et solus pene omnem populum ut se divinitus imperatum fuisse meminerat episcopo obtemperare persuasit. Propterea quoniam, inquit, mei sententia concio universa concessit, hec illi iniuncta legatio est, ut promptam omnium voluntatem et unanimem inter religione consensum episcopo nunciaret. Ille veniens et episcopi nomen inclamitans, quod in lingua eorum siquidem unalitta[?] demittata[?], pro eo quod est Otto, otta dixeris, patrem sonat, tuis inquit hec civitas monitis obtemperare consensit. Et ydola que colebat pedibus tuis conculcanda substernit. Cumque adhuc in subiectionis indicium virgam quam manu gestabat ante pedes episcopi proiecisset, prophanus ille ydolorum sacerdos confusus et confutatus aufugit. Et varias quidem episcopo postea moliebatur insidias, sed eas Christus sua inevitabili potentia et virtute cum ipso sceleris auctore destruxit. Sed de hoc alias, nunc reliqua prosequamur.

Accepta ergo legatione episcopus que votis suis congrua et illorum saluti proficua videretur, primo quidem flere pre gaudio et immensas deo gratias agere cepit, deinde renovare ecclesias et fide Christi plebem instruere non cessavit. Erat forte tum temporis homo habens arborem nucum quam stultus ille paganorum populus quasi sub religionis obtentu frequentare consueverat. Qui nulla adhoc poterat ratione induci ut arborem pateretur incidi, maxime cum eam religionem estimaret incultor[?] et commodum haberet in questu. Episcopus quidem eum sedulo commonere niteretur religionis instituere, inde potius eius iuret ipse confide arborem illam oportere succidi quia esset demoniis dedicata. Ille vero nichil his rationibus cedens postremo iurare in diis suis numquam arborem se invito se consentiente succidi. Quam cum forte episcopus aggressus fuisset abscidere, ille eum securi percutere voluit, sed nutus a deo casso vulnere aerem verberavit. Cumque a fidelibus qui forte tunc aderant rogaretur uti patientia quam aliis persuadebat, ipse potius ostenderet arborem illam fore in iniuriam pateretur, episcopus eam inconvulsam abdicato errore subsistere victus precibus assensum dedit. Et arborem quidem tamen ne suam ulcisci videretur iniuriam stare permisit, verum ab homine supradicto ne quid ei deinceps venerationis impenderet ut aliquo venerationis cultu dignam crederet securitatem quam exigebat accepit.

Volens deinde episcopus sanctus etiam Iulinenses invisere, discipulis aliisque quibusdam comitibus profectus est. Hic vero prophanus ille ydolorum antistes sancto tetendit insidias. Viros namque in navi premiserat qui tandem oportunitate accepta sanctum interimerent sacerdotem. Quibus cum occurrisset episcopus illique in eum insurgere voluissent, quidam Stetinensium qui una cum episcopo navigabant sumptis armis stare pro navi et acriter dimicare ceperunt, ita ut hii qui ex adverso fuerant preparati non sine ignominia sint repulsi. Ille interim domi tanti sceleris conscius residebat. Cum ecce repente gloriam deorum predicare clementiam cepit dicens se ab eis accepisse responsum quod ea die hora tali qualem videlicet ipse cum carnificibus commentus fuerat nuncius adveniret qui vel abscisum veterani illius episcopi caput afferret vel ipsum certe cum suis in mare demersum certissime nuntiaret. Hec dum ille verba finierat, cum ecce caput eius subito retorqueri, ipseque diras et horrendas cepit voces emittere, ita ut innumera hominum multitudo fama facti huius excita conveniret. Qua presente inter horrendos corporis cruciatus omnia sue malignitatis archana detexit ac tandem desperatam contra se ipsum sententiam ferens, quia, inquit, episcopo obtemperare contempsi, qua populum a fide quam predicat oberrare persuasi, en morior, timete dominum. Quibus dictis protinus expiravit. Tanto autem tamque intolerabili fetore omne illud in quo iacebat habitaculum replevit, ut indubia indicia relinqueret ad quales epulas de illa sua habitatione transierit. Factumque est ut ipso tempore quo nuncium super interitu episcopi vaticinatus fuerat, assistentibus episcopo apud Iulin commorante nuncius superveniens repentinum illius nuntiaret interitum. Aliter etiam sacerdotem qui ei

307